

Letter 150: 23 January 1523, Mainz, Caspar Hedio to Capito

The text of this letter was published by Herrmann 220-221. There are a number of errors in his transcription of the manuscript (Bayerische Staatsbibliothek, Munich, clm 10.357, # 26), which have been corrected as indicated in the footnotes to the Latin text.

5 Salve in Christo. Renuntiavi aedibus per litteras locatori; incertus sum, quo commigrem,
presertim tam subito et instante ieiunio. Si Schollius abnuerit, male profecto. [Heb.] khiy bha
yahweh chasiyti, l'yahwe ha arets. Arridet studium sanctae istius linguae, et *ceu per transennam*¹
contemplor, quid sit rem ex fontibus haurire. Quae de 2 coniugatione verborum gravium
10 annotasti, vehementer incenderunt animum meum, adeo multum interest inter [Heb.] schalach et
[Heb.] schilach et inter [Heb.] v'schalach et [Heb.] v'yischlach; haec vero legentem adiuvant
illustrantque. Sic et reliqua, sublimia sunt et laboriosa. Videor me operae pretium facturum, si
conferam multum, neque enim animus est in regulis diu herere, quae sunt innumerabiles. In hoc
sententiam tuam aperi. Optarim [gr.] epitomen eorum, quae de verbis necessaria scitu [?].² Si
15 potes commode, fac ut habeam biblia similia tuis.

Atrociū schedularum nondum finis, in quibus ego et maiores mei notamur hereseos
virulentiss[imae].³ Quisquis enim furcifer, vel Protheo ipso mutabilior videri possit, conflatus ex
inconstantia: iam subscribit Adrianus Sextus, iam Martinus Luther etc. Hodie tractabitur⁴ in
capitulo, num e suggestu respondendum sit populi gratia, qui offendi possit huiusmodi
15 impostura. Audiam, quid visum sit dominis, quorum quidam abominantur heresis crimen. Ipsum⁵
scio me in hunc usum positum, ut pro nomine Christi male audiam, et sic non cruciat pectus
meum, ut gaudium afferat. Rideo et subsanno infirmum consilium istorum, qui sic cupiunt a me
alienare auditores et fortassis hoc pacto viam invenire, qua me finibus suis expellant. Si saperent,
profecto quiescerent ab homine, cuius *spiritus in naribus eius est. Doctrina mea non est, sed*
20 *eius, qui misit me, Christi.*

Bene vale. Mogontiae 1523, 23 Ianuarii.
Caspar Hedio tuus.

¹ Herrmann: 'non per fraudem, nam'; ms: 'seu per transennam'

² Herrmann: 'de dicto materia scis'; ms: 'de verbis necessaria scitu[?]'.

³ Herrmann: 'virulentissimi', ms: 'virulentiss.'

⁴ Herrmann: 'tractabatur'; ms: 'tractabitur'.

⁵ Herrmann: ipse; ms: ipsum